

§. II. Pontificii sanctos demortuos et per canonizationem a Pontifice Romano in numerum Sanctorum relatos primo compellant tanquam praesentes, deinde intercessionem ipsorum ab iis expetunt, denique omni eos honore religiose prosequuntur, qui et DEO defertur, excepto sacrificio, quod ipsis Sanctis non celebrant, quanquam id celebrent in Sanctorum honorem.

*Contra Pontificios Sanctos aduocantes.*

*I. Ab experientia et sensu. Inuocantes enim sentiunt se ab iisdem exaudiri.*

*Resp.*

- 1) Et gentiles putarunt, idola sua sentire, cum ea adorarunt. Omnes enim religiones, si preces orantium exaudiantur, DEO effectum adscribunt, sin minus, iustae indignationi diuinae in peccata hominum accensae.
- 2) Pleraque exempla sunt suspecta ex impressione potius quadam animi, quam necessitate aliqua vel rei veritate facta.
- 3) Nec improbabile est, daemone nonnunquam concedi, ut procuret effectum, ut superstitiose precantes in errore suo confirmantur.

*II. A minori ad maius. Si enim licet inuocare viuos, variis adhuc peccatis commaculatos, quanto magis mortuos, in perfectionis statu constitutos.*

*Resp.*

I) Nihil aliud hinc sequitur, quam hoc, licere Sanctorum inuocationem ciuili cultu expetere, si pariter nos audirent, ac viui. At vero hoc impossibile est, nec vnquam probari poterit.

2) Quod